

D. D.  
EXERCITIUM ACADEMICUM,  
DE  
**NOTIONE**  
**EXISTENTIÆ,**

Cajus PARTEM PRIOREM,

*Consensu Ampliss. Facult. Philosoph. In Regia Academia  
Aboënsi,*

PRÆSIDE

**M<sup>AG.</sup> CAROLO**  
**MESTERTON,**

Log. & Metaph. Profess. Reg. & Ordin.

*Publico bonorum examini modeste subjicit*

**JONAS RUDBERG Andr. Fil.**  
*W. Goibus,*

In Auditorio Majori d. III. Junii Anni MDCCXLIX.

Horis ante meridiem consvetis.

---

ABOÆ,  
Excud. Joh. KAMPE, Reg. Acad. Typogr.

EXERCITIUM ACADEMICUM.

EXERCITIONE  
ACADEMICO-E

CORPUS PARTIM PRIMUM.

CONFIRMATIONIS ET CONFIRMATIONIS  
CONFIRMATIONIS ET CONFIRMATIONIS

PRÆPARATIONE

M<sup>o</sup>. CAROLO  
MASTERIONE

LOGICÆ METAMORPHOSIS LIBERÆ  
LIBERÆ METAMORPHOSIS LOGICÆ

IONAS RIBBERG M<sup>o</sup>.  
IN QVADRIBUS

IN VENDEMONDIA M<sup>o</sup>. M<sup>o</sup>. L<sup>o</sup>. J<sup>o</sup>. A<sup>o</sup>. MDCCCLX.

EXERCITIONE  
ACADEMICO-E



I. N. 3.

S. L.

**C**uivis, nisi in Philosophicis admodum hospiti & peregrino, quantum Philosopho necessum sit veras, reive naturæ exacte convenientes notiones & ideas sibi sistere, in confessio esse arbitror. Etenim, nemo præ se terre renuit & in theoria & in praxi nimium, quantum illum decipi, qui falsos conceptus & reram notiones sibi format; Qvod qvidem, si proposita brevitas permitteret, per singula eundo monstrare possemus. Qvis vero est, qui nelciat ex illegitimis & spurciis principiis dogmata provenire monstrosa dictaminique rectæ rationis minus convenientia? hoc etenim æque necessum est, ac hominem ab homine, brutum a bruto generari & nasci, agnoscant omnes. Si itaqve hoc verum est, ut est sane, tantum abest, ut aliquis alia admittat principia, ac ea, quæ genuina regulis-

A

gulisqve Logices consentanea sunt. Inter principia autem demonstrandi Philosophica referri novimus definitiones, qvæ universaliores & abstractiores licet, fructum tamen non sane contemnendum præstant, ubi ad disciplinas vel theoreticas vel practicas ex professo tractandas nos applicuerimus. Hinc scite admodum Illustris VOLFILS in Ontologia Latina, pag. 144, §. 175: Non aliis vero (inqvit) exigendus est usus, qvam qui a notionibus universalibus proficiunt valet, nimirum, ut faciem praferant in rerum cognitionem penetraturis, ne errorum instar incerta lege huc illucque divagentur. Quid enim foret de certitudine demonstrandi existentiam Divinam, genuina nisi nobis esset existentiæ notio? qvam varie autem a variis antiquioris non minus, ac recentioris ævi Philosophis fuit formata hæc notio, qvilibet mediocriter modo in Philosophicis versatus fatebitur. Nos proinde quantum in nobis est & modulo ingenii poterimus, qvænam genuina, qvænam non, breviter, ut & usum commoditatemque veræ, abulum autem & incommoditatem saltæ, evolvere conabimur. Neminem tere fugit, alios existentiam ab essentia non distinctam esse, & qvosdam existentiæ notionem, vi ontologiæ naturalis, ad eo distinctam, ut definitione nulla egeat, existimasse. Ad telam vero pertexendam ante, qvam accedimus, tuam C. L. mitiorem, qva æqvum est, modestia, censuram expetimus, sperantes fore, ne innoxiis hisce conatibus æqui bonique consulere graveris.

§. II.

## §. II.

Inter Metaphysicos, *IMPOSSIBILE*, dudum per id,  
 quod in se habet repugnantiam, sive contradicitionem involvit, definiendi usus venit. Cujus  
 cum sit oppositum *POSSIBILE*, illud erit quod nullam  
 involvit contradictionem, sive nullam in se  
 repugnantiam habet. Qvicunque vero novit quo-  
 modo res sint possibles, sive quibus possibilitas  
 abolvatur, is sane essentias rerum intelligit; facil-  
 limo itaque negotio perspicitur, *ESSENIA M* recte  
 admodum definiri, per primum conceptum ali-  
 ejus rei constitutivum, quicque rationem in se  
 continet ceterorum, quae actu insunt vel inesse  
 possunt. Eorum autem, quae rationem sufficientem  
 in essentia aut essentialibus agnoscunt *ATTRI-  
 TUIORUM* nomine veniunt, hinc illa vocantur es-  
 sentiarum consecutiva. Quae vero in sola essentia  
 sui rationem sufficientem non reperiunt, sed de-  
 pendent a circumstantiis vel conditionibus, quibus  
 ad essentialia vel attributa adjunctis, locum  
 illa habent, *MODOS & mutabilia*, sive proprie ex-  
 traessentialia cum Ramo & recentioribus, & acci-  
 dentia praedicabilia cum Aristotelicis vocamus. Ra-  
 tionem, cur modi enti inesse possint, sive eidem  
 convenire, deprehendi in essentia aut essentialibus,  
 hinc etiam *POSSIBILIA M MODORUM*, attribu-  
 torum in numero referendam, iudicant Metaphy-  
 sici. Percipitur itaque hinc, determinari attributa  
 atque possibilitates modorum per essentialia. DE.  
 A. 2. TER.

**T**ERMINATUM nimirum id esse dicimus, qvod est sui generis unicum. Ex mutabilium determinatio-  
ne status rei oritur. Est itaque status rei coëxi-  
stentia mutabiliū cum ejusdem fixis, **ACTIONEM**  
per mutationem status, cuius ratio continetur in  
subjecto, qvod eundem mutat: **PASSIONEM** con-  
tra per mutationem status, cuius ratio contine-  
tur extra subjectum, qvod statum suum mutat,  
definimus **AGERE** itaque nihil aliud est, quam  
rationem sufficientem mutationis in se continere:  
**PATI** vero rationem sufficientem mutationis extra  
se, sive in alio habere.

## §. III.

**H**inc nostra definitio intellectu erit facilior, quam  
ita cum Celeberr. **BILFINGERO** formandam esse  
existimamus: **EXISTENTIA EST IS ESSENTIA STATUS,**  
**QVO APTA EST AD AGENDUM VEL PATIENDUM. NON**  
**EXISTENS** contra, est id qvod illum essentiæ statum non  
possider. Hanc nostram existentiæ definitionem, uni-  
versalem omniqve enti, qvod existere dicimus,  
applicabilem esse, sive, qvod idem est, nec angu-  
stiorem, nec latiorem suo definito, nobis omnino  
pollicemur, qvod si falsum & rejiciendum quis con-  
tendat, necessum est ut affirmet, qvoddam existe-  
re, qvod neqve ad agendum, nec patiendum a-  
ptum est, aut aliquid non existens ad agendum  
vel patiendum aptum esse, utrumqve sequentibus  
destruere conabimur.

## §. IV.

**C**um omne qvod est, aut sit finitum, aut infi-  
nitum

9

natum ( per princip. exclusi medi ) tertium non  
datur. *ENS FINITUM* reale est ens in quo omnia  
simul inesse nequeunt, quæ eidem actu inesse pos-  
sunt. *INFINITUM* autem *ENS* reale est id in quo  
omnia sunt simul, quæ eidem actu inesse pos-  
sunt. Si itaque, omne id quod finitum est, ad  
agendum vel patiendum aptum esse & Ens quo-  
que infinitum aut ad agendum, aut ad patien-  
dum aptum esse, evincere valeamus, definitionem  
nostram suo definito angustiore non esse, sed  
omnia existentia sub se comprehendere patebit.

*OMNIA ENTIA FINITA AD AGENDUM, VEL PA-*  
*TIENDUM APTA SUNT.* Omnia entia finitorum  
nullum omnino esse, quod essentia destituatur,  
quis non videt? Neges hoc ipsum & ponas ens  
nihilominus esse ens, tunc ens privabitur eo,  
per quod ens præcise est hoc & non aliud ens,  
consequenter ens non esset idem, nec ab aliis di-  
stingvi posset, adeoque esset ens, & non ens, es-  
set ens per hypothesis, & non esset ens,  
quia destitueretur eo, per quod est hoc &  
non aliud ens, quod cum sit absonum, nihil  
aliud relinquitur, quam, ut omnia entia finita  
essentia gaudere ajanus. Porro, cum omnia en-  
tia finita essentiam habeant, ejusmodi etiam af-  
fectiones, quæ aut rationem agnoscunt in essentia  
sola, aut extra eandem habeant, necessum est;  
prius exinde patet, quod posita rei alicujus ratio-  
ne sufficiente, ponitur id ipsum, quod per eam  
potius est, quam non est, posterius liquet ex eo,  
quod

qvod qvodlibet entium finitorum debeat esse in-  
dividuum , individuum autem sit omnimode deter-  
minatum ; dicitur nimirum id omnimode determi-  
natum , qvod sub variis nimisqve multis circum-  
stantiis considerari potest . Hæc autem variae cir-  
cumstantiae sunt certe accidentia vel mutabilia . Sta-  
tum diximus esse coëxistentiam mutabilium cum  
iis , qvæ fixa & perpetua in re sunt . Statum ita-  
qve entibus finitis recte competere manifestum  
est . Gaudent igitur entia finita essentia & attribu-  
tis , accidentibus sive mutabilibus . Hæc sunt ejus-  
modi , ut perpetuo & constanter enti non in-  
sint , alio itaqve aliove modo determinari pos-  
sunt . Hujus determinationis ratio aderit sufficiens  
( per princ. rat. suff. ) qvæ aut in alio qvodam en-  
te deprehendi , aut in illo ipso ente , necessum est .  
Jam autem cum agere nihil aliud sit , ac rationem  
sufficientem mutationis in se continere , & pati tum  
dicatur ens cum rationem sufficientem mutationis  
extra se , sive in alio habet . Concludimus entia  
finita ad agendum vel patiendum apta esse omnia .

Huic nostræ assertioni neminem omnino fore ,  
qui contrarius fuerit , si modo ad ea qvæcunque  
demum sint qvæ existere dicimus , attendere non  
grave sibi duxerit , confidimus . Sic lapides &  
mineralia accidentium sive mutabilium capacia esse ,  
nemo iverit inficias , qui ea jam calida , jamqve  
frigida esse posse animadvertis . Plantas & vege-  
tabilia , jam humida , jam arida , jam crescere ,  
jam-

jamque decrescere. Animalia sive doméstica, sive  
sylvestria, sive reptilia, sive volatilia, jam in mo-  
tu, jamque in quiete esse posse. Planetas stellas-  
que fixas aut in orbitis suis, aut circa axes ferrī.  
Animam humanam nec hisce carere experientia  
testatur, potest enim jam hanc, jamque aliam re-  
præsentationem habere, nec semper eandem habet,  
sed alteram alteri succedentem, potest nimurum,  
jam imaginari, fingere & ratiocinari. Aërem jam  
rarefieri jamque comprimi; Aqvæ & terræ inter-  
dum frigore constrictas esse particulas, interdum  
calore resolvi posse, nemo ignorat. Plura autem,  
si cui de entium contingentium mutationibus nosse  
libuerit, adeat eos, qui in Physicis, Astronomi-  
cis & Psychologicis meditationibus operam exprom-  
ferunt suam, apud quos nihil omnino eorum, quod  
existere dici potest, hisce carere, rationesque ha-  
rum fuisus & plenius allatas inveniet. Nos propo-  
fiti memores, ex experientia vulgari exempla ad-  
duxisse contenti sumus, inque iis, quæ nostrarum  
sunt pergiumus. Breviter itaque nobis dispiciendum  
erit, num entis infiniti existentia sub nostra defi-  
nitione complectatur.

§. V.

**E**NS INFINITUM AD AGENDUM APTUM EST. Ens in-  
finitum (§ anteced.) diximus esse id, in quo  
omnia sunt simul, quæ eidem actu inesse possunt,  
apparet itaque nullam mutationem, nullamque suc-  
cessionem in eo posse habere locum; Mutabile e-  
nim

nim dicitur id quod aliter esse potest. Porro, o-  
mne quod est, aut contingens est, aut necessarium.  
Ens infinitum contingens esse non potest, tum e-  
nim aliter esse posset; quia enim ratione, id quod  
omnia ea habet, quae habere potest aliter esse po-  
test: Erit itaque necessarium. Necessarium autem  
est vel absolute vel hypothetice tale; sit itaque hy-  
pothetice necessarium, tum ejus oppositum sub cer-  
ta conditione esset impossibile. Ex Theologia vero  
naturali edocti, novimus; Ens ejusmodi, quod o-  
mnia ea habet, quae habere potest non esse hypo-  
thetice, sed absolute necessarium, quippe, quod  
ex argumentis, delectis ex causa & contingentia  
hujus universi, luculenter probari posse nemo faci-  
le negaverit. Est itaque absolute necessarium; si  
absolute necessarium est & ejus oppositum in se &  
simpliciter repugnantiam involvit, rationem suffici-  
entem existentiæ suæ, aut in se, aut in alio quo-  
dam ente habet, si hoc, existentia ejus non esse  
absolute necessaria, sed esset vel hypothetice talis  
vel contingens, adeoque illud non extitisse statu-  
ere haud inconveniens foret, quod ipsum repu-  
gnat indoli Entis absolute necessarii; nihil itaque  
impedit, quominus adstruamus, illud rationem suf-  
ficientem existentiæ suæ in se habere. Ulterius,  
Quod rationem sufficientem existentiæ suæ in se  
habet, id certe non eget vi alterius entis extra se  
ad existendum, adeoque propria exigit. Cum en-  
te autem infinito ita se res habet. Non itaque  
opus

9

opus habet vi entis alterius ad existendum, atque hoc modo vi propria existit, sive per essentiam suam ab æterno necessario existit. Denique, quodcumque vi propria existit rationem sufficien-tem existentiæ non suæ solum, sed & aliorum entium a se diverorum in se contineat, id certe vi agendi gaudeat. Ens infinitum est ejusmodi, vi itaque agendi gaudeat necesse est. Posita vi ponitur actio, nisi impedimentum adsit. Vi agendi instructum esse ens infinitum, ex dictis constare existimamus, impedimentum autem ei nulla ratione objici posse, tanto facilius assertum ire convenit, quod clarius eluceat, Ens necessarium a nomine dependere. Atque adeo, si ens infinitum vi agendi gaudeat, vis autem ob absentiam impedimentorum continuo agit, nihil obstat quo minus statuamus ens infinitum agere. Cum itaque ab actualitate ad potentiam sive aptitudinem, valeat consequentia. Ens infinitum ad agendum aptum esse recte pronunciamus.

Assensum huic thesi eo magis nobis pollicemur, cum nemini non pateat, nullum affirmare posse, ens infinitum intellectu gaudere perfectissimo, nisi insimul fateatur, illud non omnia possibilia solum, sed existentia etiam, unico actu & simul nosse sibi repraesentare. Quando hoc modo res sibi repraesentat, aut certe agit, aut patitur, pati autem procul dubio imperfectionem arguit, vi enim definitionis, pati id dicendum est, quod rati-

onem sufficientem mutationis, non in se, sed in  
alio qvodam existente habet & agnoscit, conse-  
quenter manifesta dependentia, adeoque imperfe-  
ctio Enti infinito tribueretur, qvod absit; Idem  
qvoqve valere de voluntate perfectissima, conser-  
vatione, concursu & gubernatione, qvæ omnia in  
entia rationis, nisi in iis exferendis, Ens Infinitum  
agere adstrueremus, abirent. Pluribus hanc  
rem, si versaremur in Theologia Naturali, con-  
firmare non admodum difficile esse putamus; qvam-  
obrem dubitantem ad eandem scientiam alega-  
mus, insimulqve velit operum Dei indolem, ac-  
curacyori lance perpendere, rogamus, convi-  
ctusqve procul dubio fier, nunquam debite &  
convenienter illa, de ente infinito prædicari  
posse, nisi actio ei tribuatur.

Utrum actionis definitio qvam (§. 2.) dedi-  
mus in ens infinitum quadret vel minus, non qui-  
dem hujus est loci disquirere, de eo enim tolliti  
solum sumus, ut Ens Infinitum agere adstrue-  
re & probare possimus. Si autem dicendum qvod  
res est, haec definitio non sine difficultate maxi-  
ma ad ens infinitum, licet optime ad entia fi-  
nita extendi posse, qvilibet animadvertisit, mo-  
do attenderit, mutationis & status ibi fieri men-  
tionem, qvæ sane ad ens infinitum difficulter ap-  
plicari potest, cum mutationis notioni & per con-  
sequens status, qvi ex mutabilium oritur determina-  
tione imperfectionis adhæreat nota, qvæ, ut ab  
ente

ente infinitio procul removenda est, ita ab hac definitione ubi mox occupati fuimus in adstruenda actione Entis Infiniti, nos abstinuimus. Conatur quidem illustr. *POLFUS* hanc suam definitionem in *Ontolog.* Lat. pag. 632. §. 43 ad Ens infinitum applicare, statuendo Analogia modorum actionemque per eminentiam, Ei tribuendum esse, ut autem distinctum & Deo dignum conceptum de analogis modorum formare difficile futurum existimamus, ita ab hujus termini usurpatione nos potius abstinemus, qvum quidquam certi de ea assurimus. Esset quidem heic locus de actionis Entis Infiniti indole pauca in medium proferendi; verum iis hoc ipsum relinqvimus, qui ex professo hanc notionem distincte evolvere in animum induixerit.

Circa hanc vero nostram Thesin observandum omnino e re esse ducimus, nos (§. 3.) dixisse, existentiam illum esse essentiæ statum, quo ad agendum vel patiendum apta est, non vero ad agendum & patiendum simul sive copulative, qva in re *BUTNERUS* p. 121. §. 6. in *Ontolog.* erravit. Disjunctive autem hoc ipsum ideo enunciavimus, ut sub hac etiam definitione existentia Dei comprehendetur, qvæ propter suam independentiam omnes passiones patientiæ possilitatem, dependentiam manifeste arguentes, respuit. Antea autem assurimus reliqua qvotqvt existunt & agere & pati posse, agunt nimurum propter suam, qvam possident realitatem vimque activam, patiuntur propter suam si-

nitudinem & dependentiam. Sed nos promissi memores, postquam, ut quidem existimamus, nihil omnio esse, quod existit, quod non ad agendum vel patiendum aptum est, paucis comprobare co-nati fuimus, iam sequentibus latiorem nostram non esse definitionem suo definito, explicabimus.

## §. VI.

**E**N<sup>TIA</sup> POSSIBILIA, QVA POSSIBILIA, APTA NON SUNT AD AGENDUM VEL PATIENDUM. Etenim cum possibile (per §. 2) sit id, quod in se nullam repugnantiam habet, vel involvit, illa certe non repugnantia perspicitur, vel intellectui finito, vel infinito; quamobrem quocunque est possibile est certe tale, vel intellectui finito, vel infinito. Sit possibile, dum adhuc in statu possibilitatis versatur inque intellectu est entis finiti, nihilominus ad agendum vel patiendum aptum. Ponamus itaque Mechanicum animo concipere ideam machinæ, sibiique distinctissime repræsentare, se mente non concipere ea, quæ sibi mutuo repugnant, qvin potius omnes partes machinam constituendas, amississime inter se conspiraturas effectumque desideratum per adpositæ producturas, machinam utique possibilem agnoscit; non tamen ideo ad actionem & passionem desideratam, præstandum apta est. In hac confiencia alias sine ratione sufficiente labore sumtusque impenderet, antea, siquidem eundem præstare valeret effectum, eandemque utilitatem. Qvis itaque est, qui vel ex hoc unico facilli-

mo negotio non perspiciat, absurdum omnino esse, possibili, qvatenus possibile est intellectui finito, aptitudinem tribuere agendi vel patiënti. Non dispari se habent ratione ea, qvæ intellectu comprehenduntur infinito. Infinitum qvippe ens, illud esse, in quo omnia ea insunt, qvæ eidem uno actu inesse possunt (§. 4.) diximus; qvamobrem qvoniā intellectus infinitus eidem inesse queat, omnia certe & singula sibi unico actu repræsentat. Sint itaqve qvamvis huc dum idealiter in intellectu Divino continerentur possibilia, nihilominus ad agendum vel patiëntum apta, aliad qvid qvælo seqveretur, qvam eadem vel in illo ipso statu posse, vel mutationes recipere, vel easdem producere? aliæ itaqve actiones in infinito intellectu existere possent, ac qvæ ipsius propriæ essent, qvod ipsum cum sit plane incongruum dignitatique summi illius Entis inimicum, rejiciendum este, qvilibet sanæ mentis mecum pronunciare haud dubitat. Aliud ergo non relinquitur, nisi ut dicamus: Nullum possibile, qva possibile ad agendum vel patiëntum aptum esse.

Pluribus hujus propositionis veritatem corroborare non vacat, nec opus esse judicamus; loquuntur enim opera Divina, loquuntur actiones humanae, atqve etiam omnia in hoc ipso universo, qvæ fuerunt, sunt & qvæ futura erunt, loquuntur in qvam, nihil omnino, ad debitam existentiam, quo usqve perductum non fuerit, ad agendum vel pa-

tien-

tiendum aptum esse. Frustraneus nimirum esset  
 Summi Numinis opus, in condendo hoc universo,  
 ejus cum possibilitatem ab æterno præviderit: Ir-  
 ritus esset omnium artificum labor: In cassum o-  
 mnes cujuscunq; demum sint ordinis & generis  
 homines agerent, si ante existentiam, aptitudine  
 ad agendum vel patiendum, res possi-  
 biles præditæ essem, omnium videlicet in eo situs  
 est labor, ut habeant perficiantq; , qvæ apta ad  
 agendum vel patiendum sunt, & sane tota nostra  
 vita nihil aliud est quam actionum & passionum  
 concatenata series.

Ex allatis itaq; colligitur; omne qvod existit,  
 ad agendum vel patiendum aptum esse, & vicis-  
 sim ad agendum vel patiendum qvodcunq; aptum  
 est, illud existere.

Sunt variæ permultæq; rationes, qvæ nosmet  
 heic filum abrumpere jubent, qvapropter Te B.L.  
 perofficiose rogamus, velis hasce pagellas benigni-  
 ori interpretatione excipere, dum opportunius  
 nobis subnascatur tempus, iis qvæ restant, defe-  
 ctum supplebimus.

